120

CHRISTIANI WILDVOGELII,

JCTI, SERENISSIMI DVCIS SAXO-ISENACENSIS
CONSILIARII STATVS INTIMI
ET IN ACADEMIA IENENSI
ANTECESSORIS
COLLEGII JCTORVM h. t. DECANI

DE

DOMINIO RERVM PATERNARVM

AD

§. II. J. d. hered. qual. & differ.

PROGRAMMA INAVGVRALE.

JENÆ,
LITERIS MVLLERIANIS.





VIventis non dari hereditatem, juris est axioma communi JCtorum calculo jam dudum approbatum. Fundatur illud in *L. I. d. hered. vel act. vend.* ubi Pomponius, *si hereditas ejus qui vivit, venierit, nihil actum esse*, diserte pronunciat. Eandem sententiam laudatus JCtus repetit in *L. XXVII. d. acqu. vel amitt. hered.* quando *neminem pro herede se gerere posse, vivo eo, cujus in bonis gerendum sit*, manifestis fatetur verbis. Idem & Paulus asserit in *L. XIX. tit. eod.* dum eum, *qui hereditatem adire vel bonorum possessionem petere desiderat, certum esse debere*, ait, *quod testator sit defunctus.* Hinc Hermogenianus in *L.* XCIV. *d. t.* scribit, eum, *qui superstitis bona repudiat, post mortem istius hereditatem adhuc adire non esse probibendum.* Imperatores etiam Diocletianus & Maxim. *in L. III. C. d. usucap. pro hered. Opinione falsa mortis pro herede possessionem rerum absentis haud procedere*, rescripserunt. Licet enim tùm ex rectæ rationis dictamine, tum ex saluberrima legum civilium dispositione bona civium ad illos, qui sanguinis vinculo quam proximè eosdem contingunt,

pertinere credantur, atque adeò iidem jus quoddam radicatum, ut vocatur, vel spem quandam certissimam [illegible] consanguineorum suorum facultatibus habere censeantur, complures tamen evenire casus, qui spem istam succedendi turbent & jus illud evertant penitus, quotidiana comprobat experientia. Consequitur ex hoc ipso, quod spes ista de hereditate alterius concepta pro jure perfecto haberi nequeat, cùm non fundetur in præsenti, veluti Jason loqui amat in *L.* XVIII. *d. acqu. hered.* Quin imò leges nostræ civiles spem istam, quæ viventis hereditatem animo complectitur, prohibent planè & damnant, ita ut Vlpianus in *L.* II. § 2. *d. vulg. & publ. subst.* eum, qui de viventis hereditate est sollicitus, *improbum* vocare haud vereatur, & præmaturam spem collationis appellet, quam quis vivente adhuc eo concipit, cujus de bonis portio debetur, *L. I.* § 21. *d. collat. bon.* Vnde & ei, qui vivi cujusdam bona, vel partem bonorum alicujus cognati alteri cuidam donare ausus fuerit, tanquam indigno hereditatem auferendam esse, statuitur in *L.* II. §. *fin. d. his quæ ut indign.* cùm is adversus bonos mores & jus gentium festinaverit, prout decidit Papinianus *in L.* XXIX. §. *fin. d. donat.* Vtut verò, secundum ea, quæ jam prolata sunt, nemini in viventium bonis jus quoddam perfectum competat, ipsis tamen liberis DOMINIVM IN BONIS PARENTVM leges attribuunt, ut adeo pro paradoxo planè non sit habendum, *Viventis dari hereditatem.* In Lege quippe XI. *d. lib. & posth.* suprà laudatus Paulus JCtus, *continuationem dominii in suis heredibus eò rem perducere*, ait, *ut nulla videatur hereditas fuisse, quasi olim hi do-*

bi domini essent, qui etiam VIVO PATRE quodammodo DOMINI existimantur; ibidemque subjungit, *post mortem patris non hereditatem percipere illos videri, sed magis liberam bonorum administrationem consequi.* Eadem verba sacratissimus Imperator noster Justinianus in §. II. *J. d. hered qual & differ.* sua facit, ac propterea filios *suos heredes* appellari dicit, *quod domestici heredes sint, & VIVO quoque PATRE quodammodo DOMINI existimentur.* Atque ex hoc principio Gajus in *L.* LVIII. §. 1. *d. verb. sign.* quod *paternos libertos recte videamur nostros libertos dicere*, firmissimè concludit. Neque mirum hoc cuiquam videri poterit, si perpendat, quod sapientissimus Philosophus *Lib. V. Eth. cap.* 6. ait: τὸ κτῆμα καὶ τὸ τέκνον, ἕως ἂν ᾖ πήλικον, καὶ μὴ χωρισθῇ, ὥσπερ μέρος αὐτοῦ, i. e. *Possessio & liberi, usque dum parvi sunt, neque à patre sejuncti, partis ejus instar sunt.* Quam sententiam Justinianus amplectitur, quando non tantùm in *L.* XXII. §. *fin. C. d. agric & censit.* filios *partem* quodammodò *corporis patris* esse scribit, sed & patrem ac filium naturâ eandem penè personam intelligi, in *L. fin. c. d. imp. & alus subst.* affirmat. Hinc tacitâ quadam lege liberis parentum hereditatem addici, eosque ratione naturali vocari ad debitam succesfionem, JCtus ait in *L.* VII. *pr. d. bon. damn.* Quare extra omnem dubitationem positum est, assertum illud, quo liberis DOMINIVM RERVM PATERNARVM vivente adhuc patre adjudicatur, ipso juris naturalis immoto nisi principio: ad quod etiam subinde respicientes prudentissimi mortalium, Romani, plura alia statuerunt, quæ omnium certè applausum sunt promerita. Volue-

runt nimirum, ut nati parentum ſuorum ſequerentur conditionem quoad dignitatem, eosdemq; hac quoque in parte repræſentarent vivos. Eum ſanè in finem *Patriciatus* ordo erat introductus, in quem illi referebantur, qui à Patribus conſcriptis ortum ducebant; nec non *Nobiliſſimatus* dignitas, mediis imperii Romani ſeculis iis tributa, qui Imperatoribus ſanguine erant juncti. Pancirol. *Notit. Imp. orient. cap.* IV. Quin & regio titulo ac nomine Regum filios, etſi ipſorum parentes nondum ex hac vita exceſſiſſent, inſignitos fuiſſe, ex *L.* II. §. 16. *d. orig. jur.* haud abſque veriſimilitudine colligi poſſe videtur, ubi Pomponius *exactis Regibus* Conſules conſtitutos eſſe memorat: Cùm enim non multi, ſed unicus Rex, Tarquinius puta ſuperbus tunc temporis imperium urbis tenuerit, vix alia ratione JCtus à contradictionis aut falſitatis notà liberari poteſt, quàm ſi dicatur, filios Regis regio titulo condecoratos atque ſic unà cum patre urbe fuiſſe ejectos. Quæ collectio etſi mea non ſit, eam tamen Tiraquelli eſſe *in Tr. ad l. ſi unquam. C. d. revoc. donat. præf.* eruditis ſatis conſtat. Ex eodem porrò fonte promanat, quod noſtris quoque moribus Nobilitatem à parentibus in filios hereditario quodam jure derivari, ipſosque liberos vivente adhuc patre in hoc dignitatis faſtigio conſtitutos videamus. Nec enim argumento alio Divi Impp. moti decus illud hereditarium eſſe voluerunt, quam quod filios eſſe parentum partes, atq; adeò parentes in liberis vel honorari vel puniri opinarentur, quin imò perſuaſi eſſent, virtutis quoque æmulos ac heredes futuros filios, gloriamque à majoribus per illuſtria facta partam conſimili virtutum ge-

nere

nere conservaturos. Quis ergò inficias ire poterit, magnum Parentem, æternis in Remp. meritis illustrem, singulariter in filio honorari, quando hic in academia Themidos ornamenta ob virtutem & eruditionem prænobilem consequitur? Idem hic honor contingit novelli nostri Candidati

DN. JOHANNI ALBERTI GVTZMERI

magno Genitori, postquam hic virtutum paternarum æmulum & heredem per tot præclaria specimina sese commonstravit. Apparebit illud jam manifestius, quando ejus natales, vitam præclarè gestam & insignes doctrinæ profectus, ea, qua par est, brevitate nunc enarrabimus. Is anno seculi hujusfini suo quàm proximi septuagesimo quarto *Rostochii* natus est, Genitore viro illustri, Dno JOHANNE GEORGIO GVTZMERO, JCto incluto, & Serenissimi Megalopolitani Ducis Consiliario status intimo excellentissimo, Dni SIMONIS JOHANNIS GVTZMERI, JCti quondam, & civitatis Stargardensium Consulis ac Syndici Amplissimi, atque ANNÆ REGINÆ ex HAGENMEISTERORVM familiâ oriundæ filio; Matre verò fœmina ob generis pariter ac virtutis gloriam eminentissimâ AGNETA SOPHIA, edita quippe Parentibus, JCto olim magnifico, Dn. ALBERTO WILLEBRANDO, Codicis in Universitate Rostochiensi Professore celebratissimo, Ducalisque, quod Rostochii est, Consistorii Consiliario

liario splendidissimo, atque matronâ nobilissimâ, ELISABETHA, JCti magni nominis JOHANNIS COTHMANNI, Sacri Palatii Cæsarei Comitis, nec non Sereniss. Ducum Megalopolitanorum Cancellarii & Consiliarii intimi filiâ. Quod conjugii sui exoptatissimi pignus parentes optimi tanto amore tantaque cura complexi sunt, ut non domi tantùm per præceptores fidelissimos fidei christianæ ac literarum primis elementis maturè imbuerent, sed & ad scholam cathedralem Schverinensium translatum operâ inprimis clarissimorum virorum bigæ, Dn. HENRICI MASII, Rectoris, & Dn. CHRISTOPHORI MAURITII, Conrectoris, magistrorum pubis formandæ arte præcellentium, per sexennii spatium exactiùs informari curarent. Hinc Candidatus noster anno hujusdem seculi nonagesimo tertio Rostochium ablegatus, ibique gubernaculis academiæ tunc præsidente JCto famigeratissimo, Dn. JOHANNE KLEINIO, Pandectarum Professore ordinario longè meritissimo, Consistoriique ducalis Consiliario gravissimo in studiosorum cœtum cooptatus, sub avunculi sui honoratissimi, viri excellentissimi nobilissimique Dn. ALBERTI WILLEBRANDI, JCti & Professoris publici celeberrimi auspicio prima juris fundamenta feliciter jaciebat, nec non jam antememorati Dn. KLEINII ductu universi Juris cursum intra triennii spatium insigni mentis alacritate conficiebat. Consultissimi porro viri, Dn. JOHANNIS SIBRANDI, JCti & Decretalium Professoris publici longè celeberrimi, totiusque Academiæ Senioris immortaliter meriti operam insignem usurpabat, & quando so-

do solidiora juris præcepta capessenda erant, & cùm disputandi solertia in JCtorum acroateriis applausu digna addiscenda esset. Ex ejusdem *Sibrandi* consilio, ipsiusque filio nobilissimo Dn. JOACHIMO HENRICO SIBRANDO, J. V. Doctorando, & illustrissimorum Comitum de CAHLENBERG Ephoro spectatissimo Præsidis partes sustinente, publicam DE STATV seu FORMA S. R. IMPERII disputationem cum singulari eruditorum acclamatione ventilavit. Rebus sic prosperè Rostochii gestis ad penates reversus est, quæque in celeberrima illa academia audiverat exceperatque attento repetitionis examine domi perquisivit. Cùm igitur, quam exorsus fuerat & hucusque continuaverat, studii juridici telam nondum ad finem perductam esse probè intelligeret, nostræ Academiæ salanæ allectus ac sapientissimi Genitoris consilio firmatus, superiori anno ad nos contendit, quò ultimi, quem suis præfixerat studiis, scopi compos evaderet. Sicut autem à Magnifico, qui tunc erat, nostræ universitatis Rectore, Dn. JOHANNE PHILIPPO SLEVOGTIO, JCto ac nostræ facultatis Seniore gravissimo studiosorum albo adscriptus fuit, ita labentis anni mense Junio unaque die duas horis ante & pomeridianis disputationes, alteram DE ARBITRIS HONORARIIS, alteram DE FERIIS, præsidis locum laudato Slevogtio occupante, masculè propugnavit, & quàm illius jurisjurandi sanctioris, quo eidem Viro fasces Academiæ tractanti ad industriam indefessam sese obligaverat,

)(rat,

rat, memor esset, opere ipso commonstravit. Eodem omninò vinculo ad cæterorum Antecessorum nostrorum lectiones visitandas, exstimulabatur fortius, atque prudentissimis perillustris & generosissimi Dni. NICOLAI CHRISTOPHORI, S.R.I.E. & nobilis Domini DE LYNCKER Sereniss. Ducis Saxo Vinariensis Consiliarii Status intimi, supremi Consistorii, quod Vinariæ est, nec non Collegiorum Juridicorum in hac civitate Præsidis eminentissimi consiliis in studiis suis confirmabatur haud mediocriter. Diligentiæ isti quâ in sectandis Antecessorum nostratium palæstris utebatur, non junxit tantùm mathematicum studium, quod præeunte celeberrimo nostro Mathematum Professore, Dn. GEORGIO ALBERTO HAMBERGERO strenuè excolebat, sed & eam copulavit operam, quam auscultandis privatorum Doctorum collegiis, nominatim nobilissimi & consultissimi Viri Dn. JOHANNIS CHRISTIANI SCHROETERI, J. V. D. & Advocati Curiæ provincialis Saxonicæ ad *Struvianum Juris civilis syntagma*, ad illustris *Strykii Examen feudale* & ad *Desselianæ juris Canonici erotemata* lectionibus impendebat. Postquam igitur nobili legum studio imposuerat colophonem, summorum in utroque jure honorum cupidine accensus, honesta sua desideria Collegio nostro modestè significavit, pariterque ut propediem ad exantlandos examinis solennis ac cæterorum speciminum labores admitteretur, per literas obtestatus est. Dubitavimus minimè petito tàm laudabili velificari, ac, cùm institutis examinibus præcla-

cla-